

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2a & 5. 7-8. 9-10. 11 (R̄.: 11a)

R̄. Dómine, notas mihi fácies vias vitæ.

vel:

Allelúia.

- ¹ Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
- ² Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu».
- ⁵ Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. R̄.
- ⁷ Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
- ⁸ Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R̄.
- ⁹ Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
- ¹⁰ Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno,
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. R̄.
- ¹¹ Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. R̄.